XXXVII

de FRANCH


año


AD SANCTISS. D. N. VRBANVM VIII. PONTIF. MAX.

LAVRETI DE FRANCHIS NEAPOL. V. I. D.
PROTHONOT. APOSTOL.

PANEGYRICVS.







ROMÆ, Ex Typographia Ludouici Grignani. M. DC. XXIII.
SVPERIORVM PERMISSV.

AD
SANCTISS. D. N.
VRBANVM VIII.
PONTIF. MAX.

LAVRENTII DE FRANCHIS NEAPOL. V. I. D.


PROTHONOT. APOSTOL.

PANEGYRICVS.



ROMÆ, Ex Typographia Ludouici Grignani. M. DC. XXIII.

SVPERIORVM PERMISSV.





LLVXIT tandem: illuxit BEATISS. PATER pulcherrimæ, tuiq; amantiſsimæ Vrbi Romæ dies ille felix, exoptatusq; dies: ille inquam expectatiſsimus, eiq; à quo exortus eſt, ſimillimus dies, cuius videndi incredibili ipſa tenebatur deſiderio. Nouit ſe ipſam: nouit te: ea enim omnium terrarum Arx, ampliſſimum omnium gentium theatrum, domicilium virtutis, totius Orbis clariſsima lux; &, quod ad rem noſtram maximè facit, tot, tantorumq; Sanctorum Martyrum decorata ſanguine, ſancta eſt, formoſa eſt; ſimilem optabat Paſtorem; ſimilem optabat Pontificem. Ab incunte ætate ſuum alumnum, præclariſſimis imbutum animi dotibus, adamabat: expectabat Prælatum. Admirabatur tuarum virtutum præſtantiam: admirabatur animi magnitudinem: expectabat te Cardinalem: optabat te Pontificem: Pontificē inquam, qui ſanctorū Pontificū imaginē referret: qui pudicitiæ vindex, Chriſtianæ Religionis vbiq; Terrarum propagator, veteris ſui ſplendoris inſtaurator, vti ſapiens, & diuinus Architectus, domum ſuam ſpecioſis animatis lapidibus exornaret; Vnicam Dei ſponſam, puram, ſinceram, candidam Columbam, Eccleſiam, ſacroſanctis irrigatum fontibus, diuinæ legis ſarculo excultum, & ſupernæ gratiæ præſidio inſtructum hortum, & agrum, im-

missis falcibus purgaret, redderetq; fecundum. Qui ad
Ber. Epist. 237. instar Petri in huius mūdi mari *laxaret retia, non in argenti, vel auri; sed animarum capturam*: & quasi peritus Nauis Ecclesiæ Gubernator ad varias tempestatum vicissitudines clauum torquere, vela, remigiumq; aptare, optimè sciret; & ad æternæ salutis portum, preciosis mercibus Christi fidelium Nauim onustam appelleret. Voti compotem iam factam, quanta putas exultare lætitia? quantis gaudijs gestire? O faustum diem: tunc verè (quis non diceret?)
Iud. c. 2. *exiuit mel de ore Leonis*: quo enim tempore Summus Sacerdos creatus es: quo cœlesti in signo Sol erat, nisi in Leone? Mel equidem Apium tuarum, quod Christiano Orbi debebatur gustādum, Sampsonis mystici, Dei scilicet, manuum opus, de quo ore nisi Leonis exire par erat? O felicissimum diem: diem nempè; quo profectò è Cœlo egressa tua electio est: eadem enim die, qua Christus Sol humanitatis obtectus nubibus, diuinitatis aperuit radios, Tu humanitatis quasi exuuias deposuisti; nam è simplici homine Christi Vicarius electus, diuinam penè assumens naturam; transfiguratus es ante Cardinales, quando Christus an-
2. Pet. c. 1. te Apostolos fuit trāsfiguratus: *Illi gloriam Dei speculantes*, isti *speculatores facti magnitudinis virtutis* tuæ. Christus in Monte, tu in Colle: Christus in Tabor, tu in Vaticano: Vterque albo vestitus amictu; Ille resplendens, & gloriosus, tu etiam nostro modo gloriosus apparuisti. De te igitur dicatur meritò: *et transfigura-*
Matt. 17. *tus est ante eos*. Porrò, si post hominum memoriam non solùm gaudendi, sed magnoperè omni ex parte

exul-

exultandi, æqua est omnibus allata occasio, hoc sanè tempore ex diuina tui electione, Sanctissime Pater, ita tributa est maxima, vt verbis planè exprimi nequeat. Purpuratus gaudet Senatus; probè enim nouerat ante actę vitæ tuæ integritatem, probè doctrinam: perspecta iam habebat, quanta pro Christiana Republica, pro Sede Apostolica sis perpessus: quot grauissima muria magna cum laude obieris; labores fortiter exantlaueris; discrimina viriliter adiueris: perspectam habuerat ingentem constantiam, indefessam sollicitudinẽ. Nouit te in vno quoque Curiæ Romanæ dignissimo gradu dignissimum Prælatum: nouit omnibus numeris absolutum: magni consilij, officij plenum, plenũ pietatis: ex cuius mente omnia honesta, omnia salutaria, nihil, quod splendidissimum non sit, proficiscatur. Cuius cogitationes nihil præter Christi laudem, quærant, & gloriam: & quòd per omnes gradus gradum tibi faciens, ita omnes illustrasti; tantum omnibus addidisti lucis, & ornamẽti; vt te iure optimo Põtificem cuperent, & acclamarent vniuersi. Poterat sanè Sacer ille Senatus Ecclesiæ principatum, cuius auctoritate nihil est in terris sanctius, nihil mirabilius, nihil augustius, plerisq; præstantissimis illius Patribus demandare: sed, vt cunctis ordinibus, votisq; plenè satisfaceret vniuersis, Te potissimum ex eis delegit, tanquam vnum, cui onus hoc tam grande, vel ipsis Angelicis humeris formidandum, par esset: tanquam eum, qui ad perferendum vires non tenues, & exiguas; sed penè Atlanticas cum tanta corporis firmitate, & animi magnitudine coniunctas haberet: tanquam eum,

cuius

cuius id amplissima merita postulabant: tanquã eum, quem omnes communi sensu exoptabant Principes: tanquam eum, quem Prælati, quorum omnium numero fuisti virtutum splendescẽtium exemplum, efflagitabant vniuersi: & tandem tanquam eum, quem tua propria Insignia sacro indicabant Senatui Pontificem,
Prou. 6. & innuebant. *Vade ad Apem; & disce quàm sit operosa.* Hic est, qui mellifluus in Ecclesia Dei esse; hic, qui in iustitia aculeo, melle verò in misericordia summopere prodesse debebit. Putrida Animarũ vulnera, & cicatrices suo melle, quod Cęli sudorem, sydcrũ saliuam, aeris affirmãt succum, miraculosè sanabit. Apum suarũ cera cultui diuino, Christianę Religioni lumen afferet, & splẽdorẽ. Lætãtur Archiepiscopi, lętãtur Episcopi, quòd vtraque dignitate decoratus, quid Pastorale officiũ sit, iugis nẽpè quædã, & perpetua mentis tẽpestas, fluctibus curarum, & cogitationum semper feruẽs, non ignoras. Effundũtur in lætitiam, quòd vbique testatus sis, quàm tibi cordi sit Ecclesiastica libertas; quàm strenuè, quàm acriter pro ea dimicaris, ne quid vnquã de ea deperderetur; quàm in insurgentes in eã hostes fortiter depres-
Cbri. hom. x. in Epi. ad Tim. seris: *qua virtutis gloria excellere debet, qui regendos alios suscipit, vt instar solis, cæteros, veluti stellarum igniculos, suo fulgore obumbret:* qui ad dignitatem conseruandã redditus suppeditant: quàm grandis, atque ideò sancta pastoralis sollicitudo esse debeat, in his, quæ ad castissimum Dei cultũ nõ cõseruãdũ solùm, sed augendum etiã spectant:
Aug. ad Athan. *nihilque difficilius, laboriosius, & periculosius Episcopi officio.* Assiduis celebrãt laudibus illã circa gregẽ tunc tibi cõmissũ insignẽ tuã vigilãtiã, paternã in pauperes, piaque

loca dilectionē, & tutelā; ardēs in ecclesiastica reparāda disciplina studium: certam, & indubitatam spem concipientes, huiusmodi Præsules, tibi similes eligendos, & in partem sollicitudinis vocandos fore: ne sub onerum succumbant grauitate: *magna enim cura eligendus est, qui domum Domini regendam accipiat: si enim terrestrium rerum dispensatores idonei quærendi sunt, quanto magis cœlestium?* Lætantur Nuntij, quòd sibi vera præclarissimorum Nunciorum norma, effigies, & Idea extiteris. Omisisti ne vnquam, quod Ecclesiæ, quod tibi futurum fuisset gloriosum? An retardauit metus? tardarunt pericula? minimè id quidem. Nosti itinerum tuorum longitudinem, asperitatem; nosti incōmoda. Quæ tua fuit peragratio Orbis? laudibus potiùs, quàm gressibus dicā. Tanta tibi fuit in moribus suauitas, in sermone hilaritas, in actione dignitas, in vultu maiestas, in verbis fides, in officijs humanitas: tāta præditus es prudentia, tanta refulges iustitia, vt hæc plenissimè testentur, & admirentur Reges. Posteritati speculum factus es in omne tempus, & scopus, quod inspectent, quem attingant, si cum gloria viuere, & ad immortalitatem pergere, cupiant: licèt collimare ad tantum scopum difficile sit. Eapropter, si eximijs suis virtutibus splendorem cunctis præseferent; si dignitatis gradum maximo cum decore sustinebunt; in suis meritis perpendendis prudentissimum tuum iudicium, & ipsis ad præclarissima quæque prouehendis, promptam semper, & efficacem voluntatem reperiēt, experienturq; tuam. Quanta verò iucunditate Cameræ tuæ Apostolicæ Clericos affectos autumamus?

Ambr. in Ep. 1. ad Tim. c. 3.

Enim

Enim verò maxima est. Recensent tuum ab omni labe abhorrentem animum; commendant inculpatam vitam; admirandum in eiusdem Cameræ negocijs expeditum tuum animum. Quamobrem dignis premijs is, cui amplissima suffragantur propria merita, iure optimo se afficiendum sperare potest ab eo, qui singulari prudentia, & summa humanitate eodem illo munere dignissimè perfunctus est. Lætantur Referendarij, quorum numero decimonono tuæ ætatis anno, omniũ plausu adscriptus fuisti: qui, & si adolescens, nullis tamen voluptatis illecebris, nullis secundioris fortunæ commodis, blanditijsq; illa etate abductus fuisti à virtute, à laude, gloriaq; conquirenda. Monstruosè, ferè dicam, factum; vt senili canitie res gerendas in ea florida iuuentute inspergeres; vt immaturę ætati prudentię adiungeres maturitatem: eoque perueneris sapientiæ, eximięq. tuę doctrinę ductu, quo canescentes Prelati peruenire existimant gloriosum. Quamobrem, qui virtutum presidijs muniuntur, ab eo, qui talem gradum, tàm preclarè exornauit, exornari se quoquè meritò sperare possũt. Lętantur Tribunalia Vrbis tuę: inter omnia validissimum contra hereticam prauitatem erectum propugnaculum, principem locum obtinet: illud enim Catholicę Fidei, & tuæ auctoritatis hostium vltor, & vindex assiduè extat: illud, vt Christi fideles non circumferantur omni vento doctrinę, spiritualem Ecclesiasticæ disciplinæ gladium, & salutaria iustitiæ arma ad Dei gloriam, & animarum salutem exercet: vtq; fideles liberè de te cum Bernardo confiteantur, quòd tu sis *in primatu*

velut

velut alter Abel; *gubernatione, velut alter Noe*; *Patriarchatu Abraham*; *ordine Melchisedech*; *Pontificatu*, *& unctione tanquam alter Aaron*; *auctoritate Moyses*; *in iudicando Samuel*; *in potestate, & muneris functione Petrus*. Summo affecti sunt gaudio illius Prælati, ex eo, quòd optimè noris, quanta in extimatione semper apud omnes Pontifices fuere, Seminarium nempè Cardinalium, & SS. Pontificum: & proindè *memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt*; *& iustitia tua exultabunt*. Tantum abest, vt verbis exprimere queant, quàm magnas gratias Respub. Christiana præpotenti Deo, omnium artifici persoluere debeat; quòd te Pontificem hisce temporibus, ac Pastorem Gregi suo præfecerit; eosque, quos habes, sanctissimos animi tui sensus dederit; vt, quin ouibus pascua tribuas salubria, agnis puri fontis vndas exhibeas, ab ouibus lupos extermines, errantes reuoces, ignaros instruas, lapsos erigas, minimè dubitent. Vrbis Gubernator, Apostolicæ Cameræ Auditor, & Thesaurarius, Rotæ Auditores, cœterique præstantissimi Præsules, qui, vel in cõsultationibus pro Statu Ecclesiastico, vel in Cõgregationibus pro diuina gloria, pro Christianæ Reipub. salute, pro omnium bono Romæ erectis, summis laboribus Apostolicæ Sedi operam præstãt, ingenti perfunduntur lætitia; Ecclesiam Dei talibus tuis innixam columnis; eòque piorum Cardinalium munitam consilio, qui pro sua fide, & sanctitate, te ad quæque sancta, ad sua merita præmijs afficienda, prouocabunt; & à quibus prompta, & pia apud te officia, studiaque sibi quàm gratissima expectabunt:

Ber.

Ber. de Consid. ad Eug.

Psal. 144.

& honorificè excipientur, qui ſummos etiam labores pro communi omnium bono, pro ſancta Sede accuratè impenderunt; vt ipſi ſacris honoribus lætentur, qui ſacris oneribus fuerunt grauati. Omnes verò ampliſſima tua demirantur merita. At quid in te potiſsimùm demirentur? ignoro. Vereor equidem, ne, ſi tuarum laudum vaſtiſsimum mare ingredi velint, rerum geſtarum magnitudine obruãtur: labyrinthum aliquem, cuius aditus facilè pateat, exitus longè difficillimus offendatur, ſibi inijſſe videantur. Laudent ne prudentiam tuam? ea diuina fuit. Laudent animi magnitudinem? omnem illa laudatoris ſtylum excedit. Laudent ne humanitatem? admirabilis ipſa fuit. Laudent doctrinam? cuiuſuis eximij, vel exercitati excludit artem Oratoris. Laudent tuam in negotijs pertractandis, conficiendisque dexteritatem, an celeritatem? quis eam naturæ penè vires ſuperaſſe non aſſerat? Forſitan, vt tuis aſſententur auribus? forſitan, vt tuam colligant gratiam adulantes non aperta loquantur? Abſit. Proferant teſtes. Grauiſsimus ſanè Iuſtitiæ Signatura extat; cui muneri per tot annos non minùs rectè, quàm diligentiſsimè præfuiſti: & ne ius cuiusque ſuum læderetur, ad publicum bonum conſeruandum, augendum, tam multis virtutibus, vel comitatis in hominibus admittendis; vel prudentiæ, & doctrinæ in cognoſcendis eorum rebus; vel clementiæ intuenda ſexus, & ætatis imbecillitate; vel manſuetudinis, & patientiæ, in multorum importunitate perferenda; vt nihil fuerit ab omnibus neque maius, neque gratius, neque mirabilius expectandum. Teſtis eſt Gratiæ Signatura;

gnatura; cui apud Summum Pontificem assistendo, humanitate miseros subleuasti, inopiæ fuisti adiumento: & adiuncta pietati tua in omnes benignitas cum comitate certabat. Testis est contra libros prohibitos illa Congregatio: in qua, ne ab illorum lectione animi fidelium inficerentur; & tanquam à venenatis pascuis oues Dominici gregis, quàm longissimè se amouerent, toto pectore incubuisti. Testis ad propagandam fidem instituta Congregatio; in qua non vlla in alijs virtus excelsior tua, pietate maior, & religionis studio ardentior extitit. Testis est Græcorum Collegium: Testis D. Basilij institutum; quorum Protector, atque amplificator extitisti; quot præclara ad æternam felicitatem comparandam præbuisti auxilia. Testis in D. Andreæ ad Vallem æde piè à te constructum, exornatumq; Sacellum, fortissimo Martyri Sebastiano dicatum; & Francisco Barberino Vtr. Signaturæ Viro Prothonotario, ad omniũ Præsulum inuidiam nato, animi paterni patruo, & gentilibus consacratum. Testis est Gallia; vbi Nuncij Apostolici apud illum Christianissimũ Regem munere functus, tuarum virtutum splendore immortalis gloriæ corona per omne æuum resplenduisti. Testis est Bononia, in qua Legati à Latere munus obiuisti, nihilq; non æterna laude dignum reliquisti. Testis est (vt paucis absoluá) totus ipse Orbis, de quo optimè meruisti. Gaudent denique omnes Prælati; omnes Curiæ Romanæ Officiales. Exultãt eruditi Viri. Lętãtur Oratores. Gestiunt Poetæ. Exhilarantur Historici; cœterique ingeniosi homines, qui delectabile viuendi institutum amplexi,

 di-

diuersis studijs delectantur, te litterarum Magistrum, & principem ad summum Apostolatus apicem assumptum fuisse. Te appellant patronum clementissimum, Mœcenatem præstantissimum, ac se ad bene merendum à tua pueritia, natura maximè propensum; quod neminem tibi summis beneficijs non alliciat, atque deuinciat. Ita ingenti lætitia diuinitus hæc tua delata Pontificia dignitas vniuersos extulit, vt ad eam variè significãdam, ac diuersis argumentis exprimendam, singulorum animos erexerit. Nunc eloquentię tum Oratoriæ, tum Poeticæ, omniumque litterarum studia, quibus nihil à Deo immortali vberius, nihil florentius, præstantiusque hominum vitæ datum est; quæ superiorum temporum calamitate, siue desidia, erant propè excisa, iacebantq; neglecta in tenebris, & sordibus, tuo tandem patrocinio reuiuiscent; & longo mulctata exilio, longaq; despicientia in vltimas Terras, gentesque relegata, hoc tuo augustissimo Pontificatu, in Latium, Italiamque, ad Romam suam olim matrem, & magistram, tua accurata opera reuocentur. Nunc in omnium Liberalium Artium, & studiorum genere florentes, vndique inuitati, accersitique viri ad tuum Licæum, Iouis Montem, venient. Fatentur, quòd lux matutina præsagit, diem; Veluti enim ingeniosa Apis, summo tuę Assumptionis mane, diuina fauente Aurora, in amplissimo hoc, delitiosoque Vrbis pręstantissimorum Virorum viridario; fructuum, & florum varietate virtutum pleno, constituta, extensis tuę industrię alis, florumque fragrantia recreata permansisti. Quamquam fructuum vbertas,

florum

florum virtutum singulorum varietas, tot colorum suauitate oculos tuos oblectabant; & ad singulorum quoque fructus, & flores gratissimos, & nobiliores, quam in cœteris Orbis locis, assiduеque emicantes, gustandum, inuitabant, alliciebant; singulos tamen, in pulcherrima, florentissimaq; omnium deliciarum copia, circumspectans, lectissimos deinde Romanæ Aulę flores; *flores honoris, & honestatis*, rerum gestarum magnitudine speciosissimos, & varijs ornamẽtis lógè clarissimos, in Sanctæ Sedis dignissimos Ministros assumis; ita vt iure optimo de te dici possit: Atq; Apis inde tulit collectos sedula flores: ac lętabũda Vrbs concinere posset *pulchritudo* Vrbani *Agri mecum est*. Omnium in te defixus est vultus; spes omnium sita; Parentem lætis clamoribus te paruuli proclamant, qui sibi doctrinæ, ac clementiæ panem frangas; pauperes vitæ præsidium, qui affatim, copioséque subministres annonam; Pupilli Patronum; senes baculum; oppressi subleuatorem; Iuuenes fautorem; Muti linguam; Cœci oculum; Virgines puritatis effigiem; obnoxiæ viro coniugalis pudicitiæ conseruatorem; Viduæ refugium; Causidici formam iustitiæ; Aulici humanitatis exemplar; Religiosi sanctimoniæ speculum; Clerus Doctorem Gentium; Principes seruati iuris æqualitatem; Episcopi *Vigilantem virgam*, Sacrum Collegium splendorem, & ornamentum; Reges Orbis lumen; Imperator Vicarium Christi, Christum Domini: omnes verò Sacerdotem Magnum, Principem Antistitum, Petri successorem, Apostolorum hæredem, Cœli ianitorem, diuinæ voluntatis interpretem, scelerum

Eccl. 24.

Cant. 2.

Iere. 1. 11.

metum.

metum, bonorum præmium, malleum Tyrannorum pariter, & hæreticorum, ſal terrę; vno ore proclamant. Quotuſquisque eſt, qui, te Pontifice, feliciora tempora, aureã, vt ita dicam, ætatẽ redituram non ſperet? quem vocem tuam non maximè audire delectet? Ecquis tuum gratiſsimũ aſpectum, & omni maieſtate decorum, & in eo Vrbanitatem, clementiam, manſuetudinem, pietatem, gratiarum concinnitatem (quæ germani Pontificis partes ſunt) videre non aueat? Quis tuos quaſi diuinis irradiatos fulgoribus oculos, ad æternum ſolem properantes, veluti geminum iubar intuens, non recreetur? Quis mirabundus terrenum te inter mortales Deum non agnoſcat? non veneretur? At vbi prętereo te Paule Quinte ſanctę mem. Aberiſnè ab hoc albo? Minimè quidem: Immo album fit illuſtrius: ex induſtria enim te intermiſi. Æquum quippè videbatur, vt in tam copioſo congratulantiũ numero; tanquã lucidiſsimo alicui gemmarum ſerto, tibi maiori præ cœteris lætitia in Cœlis affecto, veluti lucentiſsimus aliquis adamas intexereris; & alijs numeratis poſtremus additus, clarior appareres. Iam videre videor, Beatiſsime Pater, in maximo delatum meritis tuis Pontificatum collætantium cœtu ipſum Paulum collatum tibi ſupremum hunc honorem ſummopere gratulantem: ac non modo tecum, qui eius virtutum hęres extas, & ipſius manuum es opus, ſed cum vniuerſo quoque Chriſtiano populo, ſic te alloquentem. Barberine vnicè mihi dilecte, tempus eſt vt me, & veteres illos ſanctiſsimos Pontifices imitando referas; & quæ egregiè pro tota Chriſtiana Repub. ad Dei gloriã,

& ho-

& Honorem, & Sedis Apostolicæ maximum ornamentum facilè moliebar, & morte præreptus perficere, non potui; ea, aliaque longè maiora, & præstantiora in tam firma valetudine felicissimè prosequaris, ac perficias. Initio operum meorum, te Ecclesiæ Cardinalē elegi, futurum Pontificem auguratus; adiutorem in Prefectura iustitię Cardinalem te habui meritissimum; in misericordia nunc erga Pauperes, & in comitate, & beneficentia in omnes successorem habeo clementissimum. Gestorum meorum ædificio purpura tunc tibi tributa; opera nunc tua singularia apicem, & supremam manum imponent. Tuę protectioni Scotiā commendaui; non casu aliquo, sed diuino dixeris consilio; vt te Protectore, te Cardinale, illarum gentium, quarum omni Christianę veritatis luce, prorsus extincta, exitialium hęresum tenebrę perstringebant oculos, statum nosceres miserrimum: & quomodo Christiana disciplina, Ecclesię dignitas restitui deberet, remedia tempestiuè excogitares saluberrima; ibique lapsam Catholicam Religionem, quam pro illorum temporum calamitate, pro tot, tantisque difficultatibus restituere tunc nequiui, Te in prȩsentiarum Summo Pontifice, vniuersum illius Regnum, olim Catholicę Religionis cultu florentissimum, ad Apostolicę sedis obedientiam, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ cultū reductum iri coniectaui. Facilè eueniet; Scoti enim ipsi Protectoris sui assumptioni gratulantes; qui Romam aduenere; liberali, & oportuno pecuniarum subsidio, alijsque quàmplurimis pietatis, & charitatis officijs summopere à te adiuti, tuam Cardina-

litiam

litiam benignitatem, liberalitatem in toto Scotię Regno, vti tubicines publicè vociferabuntur, vt cœteri quoque humanitate tua adducti, benignitate impulsi, studio liberalitatis incitati, vrbanitatem Vrbani nunc Pontificiam; insignem verè Patris sui, & Pastores pietatem, dilectionem, experiantur omnes; & sicut tua vna fuit in ipsos Scotos vera charitas, ita cunctorum de tuis virtutibus prædicantium per omnium ora vna sit vox: Te Pontifice, Ecclesiastica Religio longè, lateque cum vniuersi Orbis vtilitate propagabitur. In Gallia armigerum intemeratæ fidei, illius Regem habes filium, sacro Baptismate tuis manibus ablutum; & ei, quem ad protegendam, & augẽdam Catholicam fidem natum spectasti, in sacro illo fonte Ludouici nomen imposuisti, & IX. Ludouici viuam, & veram effigiem fore mirabili præsagio, vaticinatus es. Id verò comprobatum satis est: ille enim duodecim annos natus, Patre amisso, in sanctissima matris disciplina educatus, quid prætermisit, vt à Barbarorum seruitute Christianos redimeret? Infideles ad Deum conuerteret? Quid prætermisit Ludouicus XIII. pro fidei Catholicæ defensione? quid pro diuini cultus augmento? Patre amisso, & in sanctissima quoque genitricis disciplina pijssimè enutritus; & veris sanctissimorum Regum rudimentis diligentissimè instructus; vbi ætas adoleuit, vti Catholicæ Ecclesiæ primogenitus Christianissimus, verèque dignissimus, accinxit se gladio super femur suum ad *faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis*, matris suæ Ecclesię hostibus: ad perfidorum hæreticorum, malorum omnium

Psal. 148.

senti-

ſentinam, flagitiorum ſeruam, extirpandam, ad ſanitatem reuocandam, ad priſtinum ſacrorum ritum in vniuerſo ipſius Regno inſtaurandum. Exoptauit ſummis votis te Pontificem, efflagitauit te Patrem vehementer; vt peſtilenti hæreticorum Secta ab Eccleſia Catholica, à Rege ſuo deficientium deleta; veræque pietatis cultu in Gallia, quàm integerrimo, perpetuoque conſeruato, ad Barbaros deindè perdomandos Vrbani Patris conſilio, & auxilio, animosè ſe accingeret; ad ſuperbos eorum faſtus reprimendos, ad impios iracundiæ contra Eccleſiam matrem conatus infringendos, acriorem Ducem, & paratiorem filium ſe haberes neminem: vt aditum ad nouos comparandos Orbes aperires; & ſuis claſſibus per vaſta oceani ſpatia Tritones ſurgerent, & præpetibus pennis fama ad eius geſta terra, mariq; propalanda caput inter nubila conderet: vt vniuerſus Terrarũ Orbis vna ſit domus Vrbani Patris, tanti filij ſtudio, & conatu. Inuictus eius animus, & feruẽs patuit Chriſtiana charitas per timoris extinctionẽ in ſubeundis tot periculis, & arduis operibus aggrediẽdis, ſola diuinæ gloriæ propagãdæ cupiditate. Fortitudine, magnanimitate, & patientia in ferẽdis, & ſuperãdis laboribus heroicè, & inſigniter à Deo ità dotatus fuit, vt Barbaras, & efferas in Eccleſiam vires non reformidet. Propagabitur in Hibernia, in Anglia fides Catholica Catholici Hiſpaniarum Regis Philippi Quarti exquiſita cura, & ingenti induſtria; cum quia nihil optabilius ei eſt, quàm, vt omnes in ijs Prouincijs degentes, in veræ fidei Catholicæ, ſine qua impoſsibilè eſt placere Deo, vnitatem occurrant, &

tan-

cuius id amplissima merita postulabant: tanquã eum, quem omnes communi sensu exoptabant Principes: tanquam eum, quem Prælati, quorum omnium numero fuisti virtutum splendescẽtium exemplum, efflagitabant vniuersi: & tandem tanquam eum, quem tua propria Insignia sacro indicabant Senatui Pontificem, & innuebant. *Vade ad Apem; & disce quàm sit operosa.* Prou. 6.
Hic est, qui mellifluus in Ecclesia Dei esse; hic, qui in iustitia aculeo, melle verò in misericordia summopere prodesse debebit. Putrida Animarũ vulnera, & cicatrices suo melle, quod Cœli sudorem, syderũ saliuam, aeris affirmãt succum, miraculosè sanabit. Apium suarũ cera cultui diuino, Christianę Religioni lumen afferet, & splẽdorẽ. Lætãtur Archiepiscopi, lętãtur Episcopi, quòd vtraque dignitate decoratus, quid Pastorale officiũ sit, iugis nẽpè quædã, & perpetua mentis tẽpestas, fluctibus curarum, & cogitationum semper feruẽs, non ignoras. Effundũtur in lætitiam, quòd vbique testatus sis, quàm tibi cordi sit Ecclesiastica libertas; quàm strenuè, quàm acriter pro ea dimicaris, ne quid vnquã de ea deperderetur, quàm in insurgentes in eã hostes fortiter depresseris: *qua virtutis gloria excellere debet, qui regendos alios suscipit, vt instar solis, cæteros, veluti stellarum igniculos, suo fulgore obumbret:* qui ad dignitatem conseruandã redditus suppeditant: quàm grandis, atque ideò sancta pastoralis sollicitudo esse debeat, in his, quæ ad castissimum Dei cultũ nõ cõseruãdũ solùm, sed augendum etiã spectant: *nihilque difficilius, laboriosius, & periculosius Episcopi officio.* Assiduis celebrãt laudibus illã circa gregẽ tunc tibi cõmissũ insignẽ tuã vigilãtiã, paternã in pauperes, piaque

Cbri. hom. x. in Epi. ad Tim.

Aug. ad Athan.

loca

loca dilectionẽ, & tutelã; ardẽs in ecclesiastica reparãda disciplina studium: certam, & indubitatam spem concipientes, huiusmodi Præsules, tibi similes eligendos, & in partem sollicitudinis vocandos fore: ne sub onerum succumbant grauitate: *magna enim cura eligendus est, qui domum Domini regendam accipiat: si enim terrestrium rerum dispensatores idonei quærendi sunt, quanto magis cælestium?* Lætantur Nuntij, quòd sibi vera præclarissimorum Nunciorum norma, effigies, & Idea extiteris. Omisisti ne vnquam, quod Ecclesiæ, quod tibi futurum fuisset gloriosum? An retardauit metus? tardarunt pericula? minimè id quidem. Nosti itinerum tuorum longitudinem, asperitatem; nosti incõmoda. Quæ tua fuit peragratio Orbis? laudibus potiùs, quàm gressibus dicã. Tanta tibi fuit in moribus suauitas, in sermone hilaritas, in actione dignitas, in vultu maiestas, in verbis fides, in officijs humanitas: tãta præditus es prudentia, tanta refulges iustitia, vt hæc plenissimè testentur, & admirentur Reges. Posteritati speculum factus es in omne tempus, & scopus, quod inspectent, quem attingant; si cum gloria viuere, & ad immortalitatem pergere, cupiant: licèt collimare ad tantum scopum difficile sit. Eapropter, si eximijs suis virtutibus splendorem cunctis præseferent; si dignitatis gradum maximo cum decore sustinebunt; in suis meritis perpendendis prudentissimum tuum iudicium, & ipsis ad præclarissima quæque prouehendis, promptam semper, & efficacem voluntatem reperiet, experienturq; tuam. Quanta verò iucunditate Cameræ tuæ Apostolicæ Clericos affectos autumamus?

Ambr. in Ep. 1. ad Tim. c. 3.

Enim

Enimvero maxima est. Recensent tuum ab omni labe abhorrentem animum; commendant inculpatam vitam; admirandum in eiusdem Cameræ negocijs expeditum tuum animum. Quamobrem dignis premijs is, cui amplissima suffragantur propria merita, iure optimo se afficiendum sperare potest ab eo, qui singulari prudentia, & summa humanitate eodem illo munere dignissimè perfunctus est. Lætantur Referendarij, quorum numero decimonono tuæ ætatis anno, omniũ plausu adscriptus fuisti: qui, & si adolescens, nullis tamen voluptatis illecebris, nullis secundioris fortunæ commodis, blanditijsq; illa ętate abductus fuisti à virtute, à laude, gloriaq; conquirenda. Monstruosè, ferè dicam, factum; vt senili canitie res gerendas in ea florida iuuentute inspergeres; vt immaturę ætati prudentię adiungeres maturitatem; eoque perueneris sapientiæ, eximięq. tuę doctrinę ductu, quo canescentes Pręlati peruenire existimant gloriosum. Quamobrem, qui virtutum pręsidijs muniuntur, ab eo, qui talem gradum, tàm preclarè exornauit, exornari se quoquè meritò sperare possũt. Lętantur Tribunalia Vrbis tuę: inter omnia validissimum contra hereticam prauitatem erectum propugnaculum, principem locum obtinet: illud enim Catholicę Fidei, & tuæ auctoritatis hostium vltor, & vindex assiduè extat: illud, vt Christi fideles non circumferantur omni vento doctrinę, spiritualem Ecclesiasticæ disciplinæ gladium, & salutaria iustitiæ arma ad Dei gloriam, & animarum salutem exercet: vtq; fideles liberè de te cum Bernardo confiteantur, quòd tu sis *in primatu*

velut

velut alter Abel; *gubernatione, velut alter Noe*; *Patriarchatu Abraham*; *ordine Melchisedech*; *Pontificatu, & unctione tanquam alter Aaron*; *auctoritate Moyses*; *in iudicando Samuel*; *in potestate, & muneris functione Petrus*. Summo affecti sunt gaudio illius Prælati, ex eo, quòd optimè noris, quanta in extimatione semper apud omnes Pontifices fuere, Seminarium nempè Cardinalium, & SS. Pontificum: & proindè *memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt*; *& iustitia tua exultabunt*: Tantum abest, vt verbis exprimere queant, quàm magnas gratias Respub. Christiana prępotenti Deo, omnium artifici persoluere debeat; quòd te Pontificem hisce temporibus, ac Pastorem Gregi suo pręfecerit; eosque, quos habes, sanctissimos animi tui sensus dederit; vt, quin ouibus pascua tribuas salubria, agnis puri fontis vndas exhibeas, ab ouibus lupos extermines, errantes reuoces, ignaros instruas, lapsos erigas, minimè dubitent. Vrbis Gubernator, Apostolicæ Camerę Auditor, & Thesaurarius, Rotæ Auditores, cœterique pręstantissimi Pręsules, qui, vel in cõsultationibus pro Statu Ecclesiastico, vel in Cõgregationibus pro diuina gloria, pro Christianę Reipub. salute, pro omnium bono Romę erectis, summis laboribus Apostolicæ Sedi operam pręstãt, ingenti perfunduntur lætitia; Ecclesiam Dei talibus tuis innixam columnis; eoque piorum Cardinalium munitam consilio, qui pro sua fide, & sanctitate, te ad quæque sancta, ad sua merita præmijs afficienda, prouocabunt; & à quibus prompta, & pia apud te officia, studiaque sibi quàm gratissima expectabunt:

Ber.

Ber. de Consid. ad Eug.

Psal. 144.

B   & ho-

& honorificè excipientur, qui summos etiam labores pro communi omnium bono, pro sancta Sede accuratè impenderunt; vt ipsi sacris honoribus lætentur, qui sacris oneribus fuerunt grauati. Omnes verò amplissima tua demirantur merita. At quid in te potissimùm demirentur? ignoro. Vereor equidem, ne, si tuarum laudum vastissimum mare ingredi velint, rerum gestarum magnitudine obruãtur: labyrinthum aliquem, cuius aditus facilè pateat, exitus longè difficillimus offendatur, sibi inijsse videantur. Laudent ne prudentiam tuam? ea diuina fuit. Laudent animi magnitudinem? omnem illa laudatoris stylum excedit. Laudent ne humanitatem? admirabilis ipsa fuit. Laudent doctrinam? cuiusuis eximij, vel exercitati excludit artem Oratoris. Laudent tuam in negotijs pertractandis, conficiendisque dexteritatem, an celeritatem? quis eam naturæ penè vires superasse non asserat? Forsitan, vt tuis assententur auribus? forsitan, vt tuam colligant gratiam adulantes non aperta loquantur? Absit. Proferant testes. Grauissimus sanè Iustitiæ Signatura extat; cui muneri per tot annos non minùs rectè, quàm diligentissimè præfuisti: & ne ius cuiusque suum læderetur, ad publicum bonum conseruandum, augendum, tam multis virtutibus, vel comitatis in hominibus admittendis; vel prudentiæ, & doctrinæ in cognoscendis eorum rebus; vel clementiæ intuenda sexus, & ætatis imbecillitate; vel mansuetudinis, & patientiæ, in multorum importunitate perferenda; vt nihil fuerit ab omnibus neque maius, neque gratius, neque mirabilius expectandum. Testis est Gratiæ Signatura;

gnatura; cui apud Summum Pontificem assistendo, humanitate miseros subleuasti, inopiæ fuisti adiumento: & adiuncta pietati tua in omnes benignitas cum comitate certabat. Testis est contra libros prohibitos illa Congregatio: in qua, ne ab illorum lectione animi fidelium inficerentur; & tanquam à venenatis pascuis oues Dominici gregis, quàm longissimè se amouerent, toto pectore incubuisti. Testis ad propagandam fidem instituta Congregatio; in qua non vlla in alijs virtus excelsior tua, pietate maior, & religionis studio ardentior extitit. Testis est Græcorum Collegium: Testis D. Basilij institutum; quorum Protector, atque amplificator extitisti; quot præclara ad æternam felicitatem comparandam præbuisti auxilia: Testis in D. Andreæ ad Vallem æde piè à te constructum, exornatumq; Sacellum, fortissimo Martyri Sebastiano dicatum; & Francisco Barberino Vtr. Signaturæ Viro Prothonotario, ad omniũ Præsulum inuidiam nato, animi paterni patruo, & gentilibus consacratum. Testis est Gallia; vbi Nuncij Apostolici apud illum Christianissimũ Regem munere functus, tuarum virtutum splendore immortalis gloriæ corona per omne æuum resplenduisti. Testis est Bononia, in qua Legati à Latere munus obiuisti, nihilq; non æterna laude dignum reliquisti. Testis est (vt paucis absoluã) totus ipse Orbis, de quo optimè meruisti. Gaudent denique omnes Prælati; omnes Curiæ Romanæ Officiales. Exultãt eruditi Viri. Lętãtur Oratores. Gestiunt Poetæ. Exhilarantur Historici; cœterique ingeniosi homines, qui delectabile viuendi institutum amplexi,

diuerſis ſtudijs delectantur, te litterarum Magiſtrum, & principem ad ſummum Apoſtolatus apicem aſſumptum fuiſſe. Te appellant patronum clementiſſimum, Mœcenatem præſtantiſſimum, de ſe ad benè merendum à tua pueritia, natura maximè propenſum; quod neminem tibi ſummis beneficijs non alliciat, atque deuinciat. Ita ingenti lætitia diuinitus hæc tua delata Pontificia dignitas vniuerſos extulit; vt ad eam variè ſignificādam, ac diuerſis argumentis exprimendam, ſingulorum animos erexerit. Nunc eloquentię tum Oratoriæ, tum Poeticæ, omniumque litterarum ſtudia, quibus nihil à Deo immortali vberius, nihil florentius, præſtantiusque hominum vitæ datum eſt; quæ ſuperiorum temporum calamitate, ſiue deſidia, erant propè exciſa, iacebantq; neglecta in tenebris, & ſordibus, tuo tandem patrocinio reuiuiſcent; & longo mulctata exilio, longaq; deſpicientia in vltimas Terras, genteſque relegata, hoc tuo auguſtiſſimo Pontificatu, in Latium, Italiamque, ad Romam ſuam olim matrem, & magiſtram, tua accurata opera reuocentur. Nunc in omnium Liberalium Artium, & ſtudiorum genere florentes, vndique inuitati, accerſitique viri ad tuum Licæum, Iouis Montem, venient. Fatentur, quòd lux matutina præſagit, diem; Veluti enim ingenioſa Apis, ſummo tuę Aſſumptionis mane, diuina fauente Aurora, in ampliſſimo hoc, delitioſoque Vrbis pręſtantiſſimorum Virorum viridario; fructuum, & florum varietate virtutum pleno, conſtituta, extenſis tuę induſtrię alis, florumque fragrantia recreata permanſiſti. Quamquam fructuum vbertas,

florum

florum virtutum singulorum varietas, tot colorum suauitate oculos tuos oblectabant; & ad singulorum quoque fructus, & flores gratissimos, & nobiliores, quam in cœteris Orbis locis, assidueque emicantes, gustandum, inuitabant, alliciebant; singulos tamen, in pulcherrima, florentissimaq; omnium delitiarum copia, circumspectans, lectissimos deinde Romanæ Aulę flores; *flores honoris, & honestatis*, rerum gestarum magnitudine speciosissimos, & varijs ornamẽtis lõgè clarissimos, in Sanctæ Sedis dignissimos Ministros assumis; ita vt iure optimo de te dici possit: Atq; Apis inde tulit collectos sedula flores: ac lętabũda Vrbs concinere posit *pulchritudo* Vrbani *Agri mecum est*. Omnium in te defixus est vultus; spes omnium sita; Parentem lætis clamoribus te paruuli proclamant, qui sibi doctrinæ, ac clementiæ panem frangas; pauperes vitæ præsidium, qui affatim, copiosèque subministres annonam; Pupilli Patronum; senes baculum; oppressi subleuatorem; Iuuenes fautorem; Muti linguam; Cœci oculum; Virgines puritatis effigiem; obnoxiæ viro coniugalis pudicitiæ conseruatorem; Viduæ refugium; Causidici formam iustitiæ; Aulici humanitatis exemplar; Religiosi sanctimoniæ speculum; Clerus Doctorem Gentium; Principes seruati iuris æqualitatem; Episcopi *Vigilantem virgam*; Sacrum Collegium splendorem, & ornamentum; Reges Orbis lumen; Imperator Vicarium Christi, Christum Domini: omnes verò Sacerdotem Magnum, Principem Antistitum, Petri successorem, Apostolorum hæredem, Cœli ianitorem, diuinæ voluntatis interpretem, scelerum

metum,

Eccl. 24

Cant. 2.

Iere. 1. 11.

metum, bonorum præmium, malleum Tyrannorum pariter, & hæreticorum, ſal terrę; vno ore proclamant. Quotuſquisque eſt, qui, te Pontifice, feliciora tempora, aureá, vt ita dicam, ætatẽ redituram non ſperet? quem vocem tuam non maximè audire delectet? Ecquis tuum gratiſsimũ aſpectum, & omni maieſtate decorum, & in eo Vrbanitatem, clementiam, manſuetudinem, pietatem, gratiarum concinnitatem (quæ germani Pontificis partes ſunt) videre non aueat? Quis tuos quaſi diuinis irradiatos fulgoribus oculos, ad æternum ſolem properantes, veluti geminum iubar intuens, non recreetur? Quis mirabundus terrenum te inter mortales Deum non agnoſcat? non veneretur? At vbi prętereo te Paule Quinte ſanctę mem. Aberiſnè ab hoc albo? Minimè quidem: Immo album fit illuſtrius: ex induſtria enim te intermiſi. Æquum quippè videbatur, vt in tam copioſo congratulantiũ numero; tanquã lucidiſsimo alicui gemmarum ſerto, tibi maiori præ cœteris lætitia in Cœlis affecto, veluti lucentiſsimus aliquis adamas intexereris; & alijs numeratis poſtremus additus, clarior appareres. Iam videre videor, Beatiſsime Pater, in maximo delatum meritis tuis Pontificatum collætantium cœtu ipſum Paulum collatum tibi ſupremum hunc honorem ſummopere gratulantem: ac non modo tecum, qui eius virtutum hęres extas, & ipſius manuum es opus, ſed cum vniuerſo quoque Chriſtiano populo, ſic te alloquentem. Barberine vnicè mihi dilecte, tempus eſt vt me, & veteres illos ſanctiſsimos Pontifices imitando referas; & quæ egregię pro tota Chriſtiana Repub. ad Dei gloriã,

& ho-

& honorem, & Sedis Apostolicæ maximum ornamentum facilè moliebar, & morte præreptus perficere, non potui; ea, aliaque longè maiora, & præstantiora in tam firma valetudine felicissimè prosequaris, ac perficias. Initio operum meorum, te Ecclesiæ Cardinalē elegi, futurum Pontificem auguratus; adiutorem in Præfectura iustitię Cardinalem te habui meritissimum; in misericordia nunc erga Pauperes, & in comitate, & beneficentia in omnes successorem habeo clementissimum. Gestorum meorum ædificio purpura tunc tibi tributa, opera nunc tua singularia apicem, & supremam manum imponent. Tuę protectioni Scotiā commendaui; non casu aliquo, sed diuino dixeris consilio; vt te Protectore, te Cardinale, illarum gentium, quarum omni Christianę veritatis luce, prorsus extincta, exitialium hęresum tenebrę perstringebant oculos, statum nosceres miserrimum: & quomodo Christiana disciplina, Ecclesię dignitas restitui deberet, remedia tempestiuè excogitares saluberrima, & ibique lapsam Catholicam Religionem, quam pro illorum temporum calamitate, pro tot, tantisque difficultatibus restituere tunc nequiui, Te in pręsentiarum Summo Pontifice, vniuersum illius Regnum, olim Catholicę Religionis cultu florentissimum, ad Apostolicę sedis obedientiam, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ cultū reductum iri coniectaui. Facilè eueniet; Scoti enim ipsi Protectoris sui assumptioni gratulantes; qui Romam aduenere; liberali, & oportuno pecuniarum subsidio, alijsque quàmplurimis pietatis, & charitatis officijs summopere à te adiuti, tuam Cardinalitiam

litiam benignitatem, liberalitatem in toto Scotię Regno, vti tubicines publicè vociferabuntur, vt cœteri quoque humanitate tua adducti, benignitate impulsi, studio liberalitatis incitati, vrbanitatem Vrbani nunc Pontificiam; insignem verè Patris sui, & Pastores pietatem, dilectionem, experiantur omnes; & sicut tua vna fuit in ipsos Scotos vera charitas, ita cunctorum de tuis virtutibus prædicantium per omnium ora vna sit vox. Te Pontifice, Ecclesiastica Religio longè, latèque cum vniuersi Orbis vtilitate propagabitur. In Gallia armigerum intemeratæ fidei, illius Regem habes filium, sacro Baptismate tuis manibus ablutum; & ei, quem ad protegendam, & augēdam Catholicam fidem natum spectasti, in sacro illo fonte Ludouici nomen imposuisti, & IX. Ludouici viuam, & veram effigiem fore mirabili præsagio, vaticinatus es. Id verò comprobatum satis est: ille enim duodecim annos natus, Patre amisso, in sanctissima matris disciplina educatus, quid prætermisit, vt à Barbarorum seruitute Christianos redimeret? Infideles ad Deum conuerteret? Quid prætermisit Ludouicus XIII. pro fidei Catholicæ defensione? quid pro diuini cultus augmento? Patre amisso, & in sanctissima quoque genitricis disciplina pijssimè enutritus; & veris sanctissimorum Regum rudimentis diligentissimè instructus; vbi ætas adoleuit, vti Catholicæ Ecclesiæ primogenitus Christianissimus, verèque dignissimus, accinxit se gladio super femur suum ad *faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis*, matris suæ Ecclesię hostibus: ad perfidorum hæreticorum, malorum omnium

Psal. 148.

senti-

sentinam, flagitiorum seruam, extirpandam, ad sanitatem reuocandam, ad pristinum sacrorum ritum in vniuerso ipsius Regno instaurandum. Exoptauit summis votis te Pontificem, efflagitauit te Patrem vehementer; vt pestilenti hæreticorum Secta ab Ecclesia Catholica, à Rege suo deficientium deleta; veræque pietatis cultu in Gallia, quàm integerrimo, perpetuoque conseruato, ad Barbaros deindè perdomandos Vrbani Patris consilio, & auxilio, animosè se accingeret; ad superbos eorum fastus reprimendos, ad impios iracundiæ contra Ecclesiam matrem conatus infringendos, acriorem Ducem, & paratiorem filium se haberes neminem: vt aditum ad nouos comparandos Orbes aperires; & suis classibus per vasta oceani spatia Tritones surgerent, & præpetibus pennis fama ad eius gesta terra, mariq; propalanda caput inter nubila conderet: vt vniuersus Terrarũ Orbis vna sit domus Vrbani Patris, tanti filij studio, & conatu. Inuictus eius animus, & feruẽs paruit Christiana charitas per timoris extinctionẽ in subeundis tot periculis, & arduis operibus aggrediẽdis, sola diuinæ gloriæ propagãdæ cupiditate. Fortitudine, magnanimitate, & patientia in ferẽdis, & superãdis laboribus heroicè; & insigniter à Deo ità dotatus fuit, vt Barbaras, & efferas in Ecclesiam vires non reformidet. Propagabitur in Hibernia, in Anglia fides Catholica Catholici Hispaniarum Regis Philippi Quarti exquisita cura, & ingenti industria; cum quia nihil optabilius ei est, quàm, vt omnes in ijs Prouincijs degentes, in veræ fidei Catholicæ, sine qua impossibile est placere Deo, vnitatem occurrant; &

tanquam vnius corporis membra, sub Christi capite, eiusque in terris Vicario Romano Pontifice, Petri successore viuant; tum quia eo præcipuè, ac sanctissimo fine sororem Infantem eiusdem Regis Hyberniæ Primogenito Principi, Sedis Apostolicæ maturo præinito consilio, expressaq; potestate iugali fœdere copulauit. Pauca hæc de Hispaniarum Rege? Ita equidem: nam vniuersa quis valeat? immo celebrāt vniuersi: quotquot enim Catholicos, pijssimosq. suos prædecessores spectant, præclara eorum ad Dei gloriam intuentur facinora; procul dubio affirmabunt, veram Catholicam religionem, illiusque cultum, & incrementum, hæreticorum, & infidelium extirpationem in vniuersis illius Regnis, quasi optimam hæreditatem, amplissimum patrimonium alijs superstitibus Hispaniarum Regibus in perpetuum legasse. Eapropter ab eodem Philippo, qui cum Galliarum Rege te Pontificem auidissimè etiam exoptauit; non nisi summum, & debitum obsequium, maximam venerationem, promptissimam obedientiam, & pro sancta Apostolica Sede omnia necessaria, & opportuna auxilia iure optimo sperare potes, ac debes. Hi tanquam frugiferæ arbores in Ecclesia Dei suauissimos tibi Api flores, & dulcissimos fructus dabunt in tempore, tot nempè innumera hominum millia Catholicæ Ecclesiæ aggregata. Hi etiam tanquam tui in agro Domini cooperatores Ethnicos etiam in ignotis, & abditis Prouincijs ab Idolorum seruitute ad veram filiorum Dei libertatem indefesso studio reuocabunt. Hi duo Reges, tanquam duo fulgentissima lumina, ad tenebras hæreticorum,

ticorum, omniumque infidelium per vniuersum Orbem abijciendas, summopere tibi deseruient: Imperator quoque, tanquam lucerna in sublimi Ecclesiæ Dei candelabro posita, ardens, & lucens, gloriosis etiam victorijs contra eiusdem Ecclesiæ hostes rutilabit. In te quoque comprobabitur quod Dominus per Isaiam eloquitur: *Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ*: Forsan Germaniæ hæretica mōstra? Is. 14.
Forsan Transyluaniæ in violando Catholicæ religionis cultu impietas? forsan Hungariæ feritas? forsan Daniæ in Ecclesiam audacia, & furor? forsan sæuissima aliorum infidelium belli tempestas, & procella, imperterritum, & veris Pontificijs ornamentis firmissimum tuum pectus perterrebunt? Non equidem; inuictissimum, quo polles, in profligandis hostibus animum prestabis; in eorum armorum strepitu tuarum virtutum copias lustrabis: in tanta illorum dementia, & cœcitate vesanum frænabis furorem, ferociam, atque audaciam reprimes intolerabilem, effrænatos franges impetus, nefarios conatus retundes. In tanta contra Romam, in Ecclesiam frementium bestiarum feritate Bauariæ Ducem illum, vt canem fidelissimum, & vigilantissimum paratum habebis, qui in tenebris hostium Dominicum sibi commissum gregem vigilanter custodiet, à periculis nocturnis viriliter eripiet; hostium insidias sagaciter explorabit, deprehendet laqueos, & immanissimarum belluarum, & luporum truculentam rabiem prudentia, solertia, animi sui fortitudine arcebit. An ignores illum belli fulmen esse? Ad Dei honorem bellandi gloria insignem

 Christia-

Christianorum columen, hostium nominis huius terrorem? Audacissimos hostium exercitus vicit, fugauit, profligauit. Res Imperij labentes, atq; afflictas maximè erexit, & confirmauit. Latissimas Prouincias, bello domitas, ac munitissimas Ciuitates, propulsatis hostibus, recępit, cumq; terrarũ Orbẽ impleuerit nominis sui fama, non solũ armis imperij iura, & fines stabiliuit; sed cęlestẽ quoque doctrinã, aut hęresũ veneno infectã, aut fędissimorum errorũ nubibus obscuratã, per pręstantes Catholicæ Ecclesiæ pręcones in pristinam veritatem, & dignitatẽ, Christianam religionem magnopere propagando, vindicauit. Venetiæ Orbis deliciæ, & pomarium, Italiæ oculus, Maris Regina ęternitati commendabunt, nullum tuo fore vnquam Pontificatum feliciorem; tum ob pręclara, quę te Pontifice, felicissimè euentura pręuidentur; tum etiam quòd Respublica illa magnum Italiæ ornamentum existens, te Pontificem à totius bonitatis auctore comprecata est, qui ipsius ornamenta in vniuersa sua ditione augeres maximè, infideles nempè, & hęreticos Orthodoxæ fidei hostes, qui suam dignitatem, pulchritudinem, vel subditorum pietatem, & religionem deturpare quoquomodo possent, etiam à suis finibus longè propulsares. Subaudię Dux ille Serenissimus, qui Herois nullum campum reliquit, in quo ipsius virtus, & animi magnitudo incomparabilis, excurrere possit, tanquam Sol in omnes locos suorum facinorum gloriam, & splendorem pro Ecclesię Dei gloria, pro Sedis Apostolicę decore mirabiliter diffundet. Liberalissimi Principis Magni Ducis He-

truriæ,

truriæ, familięque eius Serenissimæ, ex qua tot S. Pontifices, tot celeberrimi ad summam gloriam florescentes Principes, de Apostolica Sede optimè meriti, prodiere, gratissima, & omni tempore tibi præsto erunt, paratissima obsequia; tum, vt florentissimæ Florentię speciosissimi, quos Barbarini Apes ex sacris operibus recolligent, flores speciem augeant, & decorem; tum, vt apud omnes gentes testatum relinquatur, vniuersam eius inclytam domum nihil antiquius habuisse Catholicæ Ecclesiæ perpetuo obsequio, fidei zelo, Apostolicæ Sedis obseruantia: nihil accommodatius, nihil gratius, quàm, vt ciues, alumnosque suos, tanquam commendatissimos sibi viros, ad suprema in dies magis euectos lætanter aspiciat, audiat, memoriæ teneat, nulli vnqam mittat obliuioni. Ne verò singula consecter, quæ à tot alijs Christianis Principibus, & Monarchis tui amantissimis, ad Ecclesiæ decorem celerrimè expectare debes, tantùm dicam, fore, vt non minus gloriæ tuæ illi inspectatores, & contemplatores esse, quàm etiam consocij, & participes effici studeant. Ex remotis terrarum oris gentes venient, quæ, *& magnificentiam gloriæ Sanctitatis tuæ loquentur, & mirabilia tua narrabunt.* Psal. 144. Neque verò hic mihi erunt silentio prætereundi consanguinei tui, quibus à summa qua virtute gloriosa domi exempla nascuntur. Duos habes germanos, Carolum, & Fratrem Antonium Capuccinum, præcipua seculi ornamenta; alterum in re politica, alterum in Religione, celeberrimos viros: ij, sicut te Cardinale, ob singulares, & propè diuinas eorum virtutes, maximo tibi decori

fuere, sic modo, te Pontifice, in vniuersæ Christianæ Reipub. grauissimo onere subeundo maximo extabunt adiumento. Tres apud te sunt Fratris tui Caroli filij, ex prudētissima, clarissimaq; eius coniuge Constantia Magalotta. Frāciscus, Cęsarei, Pontificijq; Iuris, & sacræ Theologiæ eminenti scientia præditus; & præter cæteras, quibus pollet, liberales artes, in Græcis, Hæbraicis, Arabicisque litteris adeò versatus, vt omnes omnium oculos ad se non sine admiratione rapiat. Thadæus, & Antonius egregiæ indolis, optimæque spei ad sūmos honores nati adolescentes, dextera, præstantissimaque quacunque fortuna dignissimi, sic piè ab infantia edocti, sic sanctè educati, vt ab eorum vitæ instituto, à te præcipuis quibusdam Regulis eorum parentibus præscripto, quasi ab altera Aristoclea, & illa longè præstantiori cuncti optimè filios suos educandi normam accipiant. Hos ob tuam sublimem assumptionem nō in superbiam elatos, magistros dixeris pudoris, & modestiæ. Ad ornatum corporis prudentiam, comitatem, puritatē, & in secūdis rebus temperātiam, quasi tot diuinos spiritus ipsi sibi custōdes exquirunt; vt diuini etiam amoris firmissimo muro obtecti, patrui gloriam in dies virtutibus, & perenni gestorum gloria magnopere amplificare possint; tanquàm patruæ virtutis, & gloriæ potius sectatores, quàm aliorum bonorum hæredes. Horum omnium opera Sole splendidiora effulgebunt; cumque hominum memoriā transcenderint, nullam temporis sentient obliuionem. Reliquum est, Vrbane, cuius tam præclaro à te sumpto nomine, Romæ gratissimo;

illam ingenti gaudio affecisti, vt tuam Vrbanitatem tanquam pretiosam, & nitidissimam Margaritam, non ex Americę arenis, non ex Bengalæ scopulis, non ex ditissimo Indiarum sinu, sed ex florentissimo Florentiæ pelago expiscatam, ita omnes magni faciant, ita perenniter illius pretium prædicent, vt omnium rerum omnibus ab Vrbanitate tua suppeditata vbertate, nihil boni, nihilque sancti expetatur, quod amplissima liberalitate in omnium votorum horrea non sit elargitura. Felix ergo, faustèque viuas.

HAEC pro ingenioli mei tenuitate ex communi omnium congratulatione raptim collegi, Sanctitatisq. Vestræ pedibus obuolutus, veluti florum fasciculum (meæ inexplicabilis lætitiæ argumentum) tuis Apibus, non tanquam tuarum Laudum adultos, quos ipsæ apes edunt partus, sed abortus potius offero; ea enim non me balbutientem, non meum rudem, & incomptum stylum, sed Oratorum illustrium desiderant monumenta. Qui scribit humillimus seruus tuus est, tuarum virtutum admirator: quæ scribit tua sunt: tua quæ dat, sine artificio descripta, simplicia, nuda (vt decet Ecclesiasticum) non exquisita, non fucata verba; nulla ea parte tanta maiestate digna, sed paria offerentis seruuli paruitati.



illustri ingenij gaudio affecisti, vt tuam Vrbanitatem tanquam preciosam, & nobilissimam Margaritam non ex Americæ arenis, non ex Bengalæ scopulis, non ex ditissimo Indiarum sinu, sed ex florentissimo Florentiæ pelago explicatam, ita omnes magni faciant, ita perenniter illius pretium prædicent, vt omnium rerum omnibus ab Vrbanitate tua suppeditata vbertate; nihil boni, nihilque fausti expectetur, quod amplissima liberalitate in omnium votorum horrea non sit elargitura. Felix ergo, faustéque viuas.

